

STATVTA SYNODALIA,

A' REVERENDISSIMO Domino Episcopo Antuerpiensi in Synodo Diœcesana celebrata vigesimasecunda Maij, Anno M. D. LXXVI. prælecta & publicata.

FRANCISCVS SONNIVS, *Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Antuerpiensis, omnibus membris Cleri sui, maioribus, & minoribus. Salutem in Domino sempiternam.*





SALVBERRIMVM institutum celebrandorum conciliorum à patribus est vsurpatum, vt disciplina ecclesiastica seruetur, & quicquid à regula veræ fidei & bonis moribus alienum est, corrigatur. Pristinis enim tẽporibus Episcopi cum clero suo, velut quodam senatu, casus & difficultates emergentes decernebant, vt ex epistolis Cypriani constat, præcipiente id Canone Apostolico trigesimo octauo. Disciplina autem ecclesiastica iuxta personarum discrimina distinguitur in eam quę clerum gubernat, & eam quæ Laicos in vera pietate retinet: disciplina cleri duas habet præcipuas partes, vnam videlicet quæ ipsorum cõcernit ministerium, alteram verò quæ ipsorum cõuersationem, tam cum clericis, quàm cum laicis moderatur. Ministerium autem clericorum complectitur Sacramẽtorum administrationem, diuini cultus præstationẽ, & verbi

Dei ad populum doctrinā: In his enim eos instructos esse oportet, vt sciant quomodo debeant in domo Dei conuersari. Itaque vt ordine progrediamur, primò de Sacramentorum administratione, vt plenè sit & sancta, agemus; In secunda verò parte laborandum erit vt clerici sint irrepræhensibiles ac bonum habeant testimonium apud omnes.

Vt autem nemo ignorantiam nostrorum statutorum prætendat: mandamus vt singuli pastores apud se habeāt libellos tam Cōcilij Oecumenici Tridentini quam prouincialis Mechliniensis, quibus etiam huius diœcesani statuta adiungāt: eosq; sic legant & relegant, ac annotatiunculis memoriæ suæ aptent, vt in illis seriò studuisse videantur.

DE SACRAMENTIS.

COGITARE debent imprimis sacerdotes omnes, id quod tam serio diuus Paulus monet, videlicet se esse ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Itaque hoc imprimis eis curandum est, vt in omni mysteriorum dispensatione illi placeant cui se probauerunt: quod sine vitæ puritate, ac feruida charitate fieri omnino non potest. qui enim Christi ministerio sunt ascripti, si negocijs sæcularibus implicentur, placere Christo cui se probarunt, ex Apostol. doctrina non possunt. Hæc itaque duo imprimis proponant sibi pastores necesse est, vt tanquam ministri Domino suo placeant, vitæ puritate: & tanquam dispensatores in omnibus charitatis regulam sequantur, atque in dispensatione non quæ sua, tāquam sæcularibus negotiis impliciti, sed
2 Timoth. 4. quæ sunt IESV CHRISTI quærāt; in omnibus suorum saluti cōsulentes: instantes ministerio suo,
opor-

opportunè, importunè, &c. Qui aliter in Christi ministerio versati fuerint, etsi aliis fuerint ministri christi, sibi tamen omninò non erunt: sed cum filiis Heli Ophni, & Phinees cēsebuntur, inter filios Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum. Verè enim nesciunt Dominum, qui quem credunt vbique præsentem, & in mysteriis Sacramentalibus operantem, non verentur, non metuūt: neque timent ignem egredientem à facie Domini ad deuorandos eos, qui offerunt ignem alienū: quales sunt in quorum conscientiis ignis libidinis, ambitionis, auaritiæ, ac inuidiæ æstuat, quando altare accedunt, Domino ministraturi. Et quoniam fœtor fumi, qui ab hoc igne alieno excitatur, populū exacerbat, atque alienum reddit à sacrificiis & legitimis Dei ritibus: hinc de talibus rectè dicitur, quòd ignorent officium sacerdotum ad populum. cùm enim iuxta Pauli definitionem, Sacerdotes cōstituantur ex hominibus pro hominibus, in iis quæ sunt ad Deum vt offerant dona & sacrificia pro peccatis, vtque condoleant iis qui ignorant & errant: consequens est omnes eos ignorare officium sacerdotum ad populum, qui suis commoditatibus, & affectibus seruientes, de salute suorum populorum non sunt solliciti: neque eorum erroribus condolendo medentur; sed ipsi errantes, pessimis suis exemplis alios in errorem suum trahunt. Ne ergo sicuti arca Dei propter peccata sacerdotum & ignorantiam, venit in manus Philistinorum, ita & Ecclesia Domini, quę vndiq; oppugnatur, fit in despectum malignantium, doleamusque cum vxore Phinees, dicentes: Translata est gloria de Israël: monemus omnes vt omnem laborem eò conferant vt sciant Dominum & officium sacerdotum ad populum.

CAPVT II.

VOLVMVS itaq; ab omni irreuerentia, & ab omni ſpecie auaritiæ ac ſimoniæ, in Sacramentorum adminiſtratione abſtineri : quod vt fiat mandamus & præcipimus, vt paſtores illorumque adiutores nuſquam vllum Sacramentũ adminiſtrare tentent, niſi decẽter induti habitu religionis, hoc eſt ſuperpellicio ſiue alba cum ſtola, ne ipſimet paruipendere videantur, quod etiam à laicis ſumma veneratione ſuſcipiendum eſt. Quoties quis contrarium feciſſe repertus fuerit, pendat vnius floreni mulctam.

CAPVT III.

QVI potus, vel aliter indiſpoſitus, ác inidoneus ad miniſteriũ ſacroſanctum ſeſe ingerit; ſiue is paſtor, ſiue matricularius ſit : depræhenſus iuxta irreuerentiæ enormitatem pœnas dabit.

CAPVT IIII.

ITEM ſtatuimus ne quid in vſitatis ritibus, ac ceremoniis Eccleſiæ immutetur, aut temere omittatur, vel etiam addatur, maximè circa Sacramentorum formas. quod ſi factum depræhendatur, id nobis noſtro arbitrio, ſeuerè puniendum reſeruamus.

DE BAPTISMO.

QVÆ de materia & forma huius Sacramenti, item quæ de neceſſitate & effectu, iam olim ab initio naſcentis Eccleſiæ ſunt tradita, & contra omnes hæreſes in Sacroſancto Concilio Tridentino definita: volumus ab omnibus paſtoribus memoriæ diligenter mandari, vt in promptu habeant, quod calum-

calumniatoribus reſpondeant.

CAPVT II.

ITEM monebunt paſtores matronas baptizandum in templo præſentantes, vt modeſtè & attentè adſint tanto Sacramento: Deo gratias agentes, qui filium iræ & hæredem inferni benignè ad Sacramétum regenerationis admittit, vt fiat filius Dei & hęres vitæ æternæ; præterea vt in memoriam reuocẽt renunciationem quam in Baptiſmo fecerunt ſatanæ, & omnium pomparum eius; & obligationẽ qua ſe ad nouæ vitæ ſtudium obſtrinxerunt.

CAPVT III.

VT Anabaptiſtarum fraudibus quantum fieri poteſt occurratur, requirimus omnes magiſtratus noſtræ diœceſis, vt cogãt omnes obſtetrices tam admiſſas quàm admittendas, ad præſtandam ſufficientem cautionem pro mulcta ſoluenda toties, quoties prolem aliquam vltra viginti quatuor horas, ſine paſtoris conſenſu, different Baptiſmo præſentare: quod ſi obſiſtẽtibus parẽtibus & amicis, efficere non poſſint, aut etiam ſciant aliquos infantes infra octauum natiuitatis diem non baptizatos, cogantur ſub iuramento ſuo paſtoribus locorum denunciare.

CAPVT IIII.

ITEM vt obligent omnes dum admittentur, vel iuramento vel ſub certa mulcta ad accuſandas eas quas ſciunt ſecretò operam ſuam præſtare hæreticis, aut hæreticarum mulierum partus celare.

CAPVT V.

ITEM vt maiori cautela ſuum officium admini-

 ſtrent,

ſtrent,& ne ſemel admiſſæ patiantur ſe ſeduci ab hęreticis, nulla in poſterum admittatur obſtetrix, niſi ad vnum annum, videlicet à feſto Iohannis vſq; ad idem proximè recurrens feſtum, quo tenebuntur omnes ſuæ admiſſionis petere continuationem, fideiq́ue Catholicę facere denuò profeſſionem, atque omnia & ſingula ſua iuramenta iterare. In continuatione autem admittantur paſtorum querelæ & audiantur.

CAPVT VI.

CVRENT paſtores nomina baptizandorum vbi & quando baptizati ſint, inſcribere libro, in omnibus parochialibus Eccleſiis ad perpetuam facti memoriam diligenter cuſtodiendo, vt exigente neceſſitate ex eo decidi poſſint quæſtiones, ſuper infantum baptiſmo exortæ.

CAPVT VII.

VT paſtores faciliùs & minore indignatione executioni mandare poſſint, quod magna neceſſitate iuxta antiquos canones, de vitanda pluralitate ſuſceptorum in baptiſmo infantium, in concilio Tridentino conſtitutum eſt: ſtatuimus vt ante inchoatum exorciſmum interrogent obſtetricem & aſtantes de ſuſceptore ac ſuſceptrice; eorumque nomina etiam ante inchoationem exorciſmi, libro aut regiſtro ad hoc ordinato inſcribant, aliisque declarent plures duobus admitti non poſſe: qui hac in re culpabiles aut negligentes inuenientur, noſtro arbitrio punientur.

CAPVT VIII.

EXCEPTIS caſibus à iure expreſſis nemo tentet baptizare extra locum fontis ad hoc conſecrati.

CAPVT

CAPVT IX.

QVIA in concilio Mechliniensi constitutum est, vt antiquus depurificandis puerperis ritus obseruetur, statuimus, vt vel à pastore, vel custode, earum nomina diesque purificationis registro Ecclesiæ inscribantur.

CAPVT X.

VT autem pastoribus cõstare possit quæ huic ordinationi obtemperent, volumus eas à solis pastoribus ac sacerdotibus peculiariter ad hoc deputandis introduci in Ecclesiam. Animaduersuri in eos qui absque pastoris consensu aliquam introducere tentabunt.

CAPVT XI.

HÆC omnia quæ laicos concernunt, volumus frequenter tum è suggestu, tum in administratione baptismi publicari.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

QVANDOCVNQVE sacra Eucharistia extra Ecclesiam erit administranda: volumus & administrantem, & custodem præeuntem esse in habitu religionis, videlicet superpellicio vel alba cũ stola: item lumen præferri, sonante campanula, qua & comitantes admoneantur reuerentiæ, & obuiantes, ne fabulis aut leuitatibus aliis animum à Sacramento alienum ostendant, excitenturque vt pro salute eius cui administranda defertur, Deum suppliciter exorent.

CAPVT II.

ITEM mandamus vt in visitatione ægrotorum & huius Sacramenti administratione, pastores quam diligentissimè admoneant, ne iam in mortis periculo constituti indignè percipiant: quantumque præsidij sit in hoc diuino viatico aduersus omnes salutis hostes. Promittit enim Propheta Dauid quòd eos qui dignè fiunt participes mensæ nobis in ecclesia paratæ, aduersus omnes qui tribulant nos, consequetur misericordia patris cælestis omnibus diebus
Psal. 22. vitæ suæ: habitaturiq; sint in domo Domini in longitudine dierum.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

CAPVT I.

STATVIMVS vt pastores ad Episcopum referant, octo vt minimum diebus ante Concilium Diœcesanum nomina eorum quos putant non obseruauisse canonem *Omnis vtriusque sexus*,

CAPVT II.

VT hoc facilius constare possit pastoribus mãdamus omnibus confessariis etiam religiosis, vt circa festiuitatem Paschæ, nomina omnium sibi confitẽtium in registro describãt, illudque pastori confitẽtis tradant, vt ex eo colligere possit, qui suorum Ecclesię constitutionem contempserint.

CAPVT III.

MONEMVS omnes cuiuscunque cõditionis & status quòd in præuaricatores dicti canonis *Omnis vtriusque sexus* seuerè animaduertetur, pœnæque in eo con-

eo contentæ (maximè quod ad ſepulturam Eccleſiaſticam attinet) exigentur: atque de errore hæretico ſuſpecti habebuntur quouſque legitima ſatisfactione ſeſe purgauerint.

CAPVT IIII.

FACVLTATEM abſoluendi à caſibus reſeruatis Epiſcopo, cōcedimus prioribus & Gardianis; nō aliis, niſi anteà ad eam poteſtatem obtinēdam nobis fuerint præſentati & inuenti idonei.

CAPVT V.

IN pœnitentiis & confeſſionibus ægrotorum ſedulò obſeruent paſtores & omnes qui fortè aduocabuntur ab ipſis ægrotis, vt diſpiciāt an obnoxij ſint manifeſto adulterio, concubinatui, crimini vſuræ, detentioni rei alienæ, aut pertinaces diſcordias contra proximum exercuerint, diligenterque eos moneant, vt in huiuſmodi ſuis delictis integram emendationem, reſtitutionem ac reconciliationem præſtent, neque eos abſoluant, niſi de his complēdis expreſſam promiſſionem dederint.

CAPVT VI.

NEMO paſtorum omittat denūciare excommunicatum è ſuggeſtu, quandocunque ab executore requiſitus fuerit, & literas excommunicationis debitè expeditas viderit, niſi fortè ad pauciſſimos dies, vt paterno affectu præmonere poſſit excommunicatum, & exhortari, vt ſatisfactione abſolutionem promereatur.

CAPVT VII.

NOTORIOS concubinarios, adulteros, vſura-

 rios

rios, ſcorta publica, & proſtibula publicè fouentes, notoriè hæreticos: nemo ad Eccleſiaſticam communionem recipiat, niſi prius pœnituerint, ac vitæ ſuæ conditionem mutauerint, vt probabiliter ſcãdalum ſublatum eſſe præſumi poſſit. quod ſi in hoc ſtatu pertinaciter perſeuerẽt, volumus eos nobis denunciari.

Capvt viii.

Vt autem proſtibulorum ſcandala minuantur, & frequentantes confuſione loci prohibeantur: requirimus locorum magiſtratus, vt ea non niſi certo loco & ad angulum aliquem ciuitatis reiecto tolerent, pœnaſq́; grauiſſimas conſtituant iis qui alio loco ſcorta fouent, aut hoſpitium concedunt.

Capvt ix.

Instanter eoſdem requirimus, vt iis qui domos ſuas lenonibus extra conſtitutum locum elocant, aut diffamatos de lenocinio in iiſdẽ tolerant certam mulctam conſtituant, ſingulis hebdomadibus perſoluẽdam, quouſque ipſos lenones auctoritate ſenatus, cum turpi ſua familia inde eiiciant.

De Ordinandis.

Capvt i.

Antiqvorvm cõciliorum & patrum Canones tria potiſſimum in ordinandorum perſonis expendenda & exquirenda propoſuerunt, videlicet educationem, conuerſationem, & eruditionem; quæ niſi in poſterum ab ordinatoribus ſeruentur, difficile erit, cleri diſciplinam ſuo nitori & integritati reſtituere.

Capvt ii.

Qvod ad primum caput attinet, videlicet educatio-

cationem, graue præiudicium patiuntur Episcopi, in eo quod collatores & patroni beneficiorum, vt plurimum magis personis quàm Ecclesiis prospectum volunt, & fascino carnalis necessitatis excæcati, homines pessimè educatos & ad nihil quàm ad ecclesiasticas functiones minus idoneos, Episcopis instituendos in beneficia & ordinandos obtrudunt: quo fit vt sæpe per ignorantiam, quandoque etiam inuiti, cogantur communicare alienis peccatis: sed huic rei aliquousque in concilio Tridentino prospectum est, quando Episcoporum prouidétiæ per pulcherrimam seminariorũ erectionem, relicta est clericorum educatio.

CAPVT III.

NE itaque in posterum cogamur incognitis clericis Ecclesiastica ministeria committere, sed sub disciplina nostra ab prima ineunte ætate probatis, statuimus & ordinamus iuxta dispositionem capitis sexti in sessione vigesima tertia, vt quicunque beneficia simplicia in nostra Diœcesi nunc obtinent aut in posterum obtínebunt, constituti infra ætatem à Canonibus ad sacros ordines requisitã, fructus beneficiorum suorum non percipiant, nisi habitũ clericalem deferentes, in Ecclesia sui beneficij ex mandato nostro ministrét, vel in vniuersitate aliqua priuilegiata studeant.

CAPVT IIII.

ITEM statuimus vt ordinãdi titulo patrimonij, pro examine dicti tituli & literis corroborationis siue erectionis, cum iuramento de non alienando in forma consueta expeditis & sigillatis; pro salario officiatorum tantum decem stuferos persoluant.

CAPVT V.

ITEM statuimus vt ordinandi ad titulũ sui patrimonij

trimonij à nobis corroboratum & confirmatũ possint quando nobis videbitur seruitio alicuius Ecclesiæ nostræ Diœcesis deputari iuxta constitutionem capitis 2. sessione 21. à qua sine consensu nostro iuxta caput decimum sextum sessionis 23. recedere eis non liceat.

Capvt vi.

Item statuimus, vt qui ad titulos Ecclesiasticos nostræ diœcesis ordinati sunt, vel in posterum ordinabuntur, nulla ratione ad aliam diœcesim etiã vocati absque nostro consẽsu transire audeant.

Capvt vii.

Vt inquisitio, quæ de natalibus, ætate, moribus, & vita ordinandorum haberi debet (iuxta dispositionem capitis quinti sessionis 23.) non fiat per commissariorum imperitiam, aut deponentiũ malitiam illusoria ac inutilis: volumus exactissimè obseruari eam formam, quam veteres Canones & Ecclesiastici doctores præscribunt: videlicet vt communi consilio mores & merita singulorum ponderẽtur. Fiet ergo hęc inquisitio vocatis ad deponẽdum honestis & omni exceptione carentibus, atque probabiliorẽ personę quæ cupit promoueri notitiã habentibus; & ante omnia inquiretur num sit deditus aleæ, aliquandò infamatus super incontinentia, vel puellarum amoribus, ebrietate, magia, aut aliis illicitis, ac statum Ecclesiasticum indecentibus artibus: item an pacificus, modestus, parentibus obediẽs, & ab omni actione inhonesta alienus.

Capvt viii.

Svper omnibus præscriptis vocati medio iuramento

mento calumniæ notitiam suam deponent; quam in scriptis redactam ad nos pastor transmittet per ipsum ordinandum: Qui si ad subdiaconatus ordinem promoueri voluerit, Feria quarta Quatuor tēporum, hora septima ante meridiem: Si verò ad diaconatum vel sacerdotium, Feria quinta eadem hora in ciuitate Antuerpiensi in domo residentiæ nostræ, eam nobis exhibebit.

Caput IX.

Ad examinandas depositiones prædictas, vt non obiter & temere admittantur, deputauimus & constituimus nouem eximios viros Ecclesię nostræ Cathedralis Canonicos, partim in sacra Theologia, partim in iure Canonico promotos ad gradum licētiæ: quosdam etiam doctorali dignitate insignitos: ex quibus vt minimum tres nobiscum vel cum Officiali aut sigillifero nostro singulorum examini interesse volumus, & quos maior pars reiecerit, illos reiiciendos, minimeque admittendos decernimus.

Caput X.

Simili modo examinandos declaramus omnes instituendos in beneficiis Ecclesiasticis maximè iis, quæ curam animarum annexam habēt: quos de articulis fidei, de Sacramentis Ecclesiæ, de peccatis & eorum differentiis, de casibus reseruatis ac de impedimentis matrimonij diligēter interrogari volumus, & non admitti nisi pertinenter & cum iudicio respondeant; & preterea specimen aliquod præbeant verbi Dei de suggestu prædicandi, in aliquo monasterio sibi designando.

DE

DE SPONSALIBVS AC MATRIMONIO.

CAPVT I.

CVM ardua sit matrimonialis promissionis obligatio, adeo vt sine singulari Dei gratia propter mutuas infirmitates, humanis viribus adimpleri non possit, statuimus vt nemo ad contrahendum admittatur, nisi confirmatus & qui ante per religiosam peccatorum confessionem bene sit præparatus.

CAPVT II.

PROPTER temporum difficultates & pericula, concilio Mechliniensi & Tridentino adiiciendũ duximus Canonem 16. concilij Elibertini, qui prohibet ne fideles cum hæreticis nuptias contrahant: qua de re pastores non minorem inquisitionem habere volumus in faciendis proclamationibus, quam de impedimentis reliquis. Et si alterum coniungendorum hæresi infectum, aut non temerè suspectum inueniant: id in literis proclamationum sacerdoti, qui matrimonium solẽnisaturus est, indicari volumus.

CAPVT III.

NVLLVS pastorum aut decanorum in suis rescriptionibus, aut attestationibus mẽtionem faciat solutorum iuriũ, quasi eius rei gratia instituta esset pastoralis testimonij corroboratio, & non nisi modestè literis inserat mentionem dispensationis super diuersitate decanatuũ aut diœcesium; nec amplius exigat pro prædictis literis, quàm constitutũm est in concilio Mechliniensi, sub pœna arbitraria.

CAPVT IIII.

QVI ex indulgentia Episcopi ex legitima causa tem-

sa tempore clauso ad cõtrahendum matrimonium admittuntur: abstinere debent à solẽnitate nuptialis conuiuij, choreis, & similibus insolẽtiis, sub pœna in concilio Mechliniensi expressa, quam extendimus ad eos qui matrimoniũ ante tẽpus clausum contrahunt, sed conuiuia nuptialia & reliquas insolencias transferunt, ad tempus clausum.

CAPVT V.

MANDAMVS pastoribus, vt viduas, quæ ad secunda vota transire volunt, examinent, de obitu priorum maritorum, vbi & quãdo obierint: & si peregre defunctos dicant, non coniungãt nisi eas, quæ certissima habent de morte documẽta: Si verò solum temporis lapsum adducant, aut alioqui non plene probent maritos defunctos esse; huiusmodi ad nos vel vicarium nostrum remitti volumus, neque sine nostro consilio & consensu coniungi.

CAPVT VI.

QVONIAM multi propria auctoritate vxores suas à se expellũt; & vxores viros suos pro libitu suo deserunt: mãdamus omnibus pastoribus, vt tales deprehensos reconciliare studeat: quos si inueniant irrecõciliabiles aut præfractos, volumus nostro Officiali aut fiscali denunciari, vt puniãtur atq; cohabitare cogantur, si desit canonica separationis causa.

DE DIVINO CVLTV.

CIRCA diuinum cultum hæc tria potissimum cõsiderantur, vt sit assiduus, tẽpestiuus, ac cum debita fiat reuerẽtia. Erit autẽ assiduus cultus si nihil eorum quæ vniuscuiusq; Ecclesiæ vsus exigit, omittatur, festorumq; seruetur ordinarius, atque omnes qui interesse tenentur, intersint, fungantúrq; suo vnusquisque munere, iuxta ordinis & beneficij sui rationem.

CAPVT II.

QVOD vt ſine perturbatione fiat, iubemus in choris ſingularum Eccleſiarum, tam cathedralis quàm collegiatarum, ſuſpendatur loco congruo tabula cum inſcriptione ceremoniarum ſub diuino officio obſeruandarum: ſitque in ſingulis Eccleſiis potiſſimum in matrice magiſter aliquis ceremoniarum, qui illarum debitam obſeruantiã à ſingulis diligenter exigat.

CAPVT III.

VT autem in diuino cultu præſtando aſſidui ſint omnes, imprimis ſtatuimus, vt paſtores in ſingulis parochiis quatenus commodè fieri poteſt, iuxta Eccleſias habitent, ſemperque circa eas verſentur, tum vt inueniãtur quacunque hora à ſuis ad Sacramentorum miniſteria requirentur, tum etiam vt ſcholæ parochiali perpetuò immineant, atque iuuentutis aliquam rationem habeant.

CAPVT IIII.

ITEM ſtatuimus, vt qui apud regiſtrum noſtrum inſcripti ſunt tanquam paſtores miniſtrantes Eccleſiis parochialibus, non abſint à parochia ſua per totum octiduum abſque decani ſui ruralis conſenſu: maximè ij, qui non habent in eodem pago ſubſidiarium cohabitãtem ſacellanũm: quem quoties à parochia longiùs eos abeſſe contigerit, requirere debẽt vt miniſterio intendere velit: qui verò ſubſidiarium non habent, viciniorem parochum cogantur requirere, ac niſi de eius ſolicitudine ſecuri à loco ſui miniſterij non audeant recedere.

CAPVT V.

ITEM mandamus decanis noſtris ruralibus, vt quàm

quam fieri poteſt citiſſimè poſt feſtum S. Ioãnis Baptiſtæ Eccleſias ſuas viſitent, vt ante feſtum Bauonis nobis tranſſcribant quæ Eccleſiæ, quæque beneficia ſuis veris miniſtris pro illo anno careant.

CAPVT VI.

ITEM volumus horas conſuetas diuini cultus non temere permutari, vel præuentione, vel poſtpoſitione officij.

CAPVT VII.

ITEM mandamus, & ſtatuimus, vt deinceps in omnibus Eccleſiis collegiatis noſtræ diœceſis horæ Canonicæ perſoluantur tractim, diſtinctè, & abſque omni leuitate, quæ laicos à diuini officij religioſa frequentatione auertere poſſit.

CAPVT VIII.

ET quoniã in multis parochiis & maximè in pagis, Miſſæ omnes fundatæ non celebrãtur, volumus & mandamus vt omnes diligenter celebrentur. Et non reſidẽs alicuius beneficij poſſeſſor, cogatur pro qualibet Miſſa in ſeptimana, extra ciuitatẽ exoluere decem florenos. Ad quas celebrandas præferẽtur ſacerdotes ibidem reſidentes, qui conuenientem Miſſarum numerum in ſeptimana non habent.

CAPVT IX.

ITEM quòd nemo ſub officio chori, extra chorũ ambulet, vagetur, aut fabulis intẽdat, ſub pœna perdendi diſtributionem illius horæ: quod ſi monitus non pareat, mulctetur priuatione diſtributionũ ſeptem proximè ſequentium dierum.

CAPVT X.

ITEM clerici qui in locis reſident vbi horę canonicæ non cantantur, ſtudiosè debẽt horas ſuas lege-

re integrè & reuerēter:neque vnquam eas omittere, alioqui enim fructus beneficij pro rata omissionis suos non facient;iuxta bullam a Pio quinto desuper editam. Mandamus autem decanis nostris ruralibus vt diligenter inquirant contra negligentes, eosq; ad nos deferant,maximè quos deprǽhendent celebrare non lectis horis.

CAPVT XI.

ITEM in ruralibus Ecclesiis vbi est iuuctus scholastica quæ ad chori cantum iuuandum instituitur, mandamus vt chorum non ingrediātur adcantandum sine superpelliciis. Qui verò cantandi adhuc sunt imperiti,extra chorum vel in eius medio collocentur, vt sine fabulis diuinū officium audiant cum omni modestia ad reuerentiam compositi.

CAPVT XII.

ITEM pastori curæ esse debet ne mensa Domini, hoc est altaria Ecclesiæ,immundis linteis insternantur. Item vt repositorium venerabilis Sacramēti,corporalia, ampullæ, & omnia quæ ad diuinum sacrificium peragendum sunt necessaria, munda habeantur. Quod si vel pastoris vel matricularij vel mamburnorum circa hæc negligentia deprǽhendatur,seuerè pro delicti exigentia punientur.

CAPVT XIII.

VOLVMVS etiam vt perpetuum lumen habeatur ante venerabile Sacramentum, exceptis noctibus, propter grassatores, sub pœna vnius libræ grossorum exigenda à matriculario, si eius negligentia non incendatur: ab ipsis verò magistris fabricæ, si non procurent oleum vel candelas.

DE DOCTRINA PASTORVM.

QVID autem & qualiter docere debeát pastores, satis in Tridentino & Mechliniensi conciliis est prolixè traditum, quibus hic nihil addere decreuimus, præterquam quod statuimus vt omnes diuini verbi concionatores suas conciones, aut saltē capita earum præcipua, priusquam eas ad populum habeant, describant iuxta ordinem hebdomadarum anni: idque non in chartis reiectitiis, sed in libello quem in visitatione nobis exhibeant.

CAPVT II.

ITEM volumus pastores in principio concionis recitare lingua vernacula tractim & intelligibiliter Orationem Dominicam, Salutationem angelicam, Symbolum fidei, & decem præcepta Decalogi: in fine autem confessionem generalem, quam vocant vulgo **die nabiecht.**

DE HONESTA CLERICORVM CONVERSATIONE.

QVÆ de honestate vitæ & conuersatione clericorum sunt constitutá in conciliis Tridētino & Mechliniensi, inuiolabiliter obseruari volumus; mandantes ne quisquam de clero se misceat vsquam potatoribus in tabernis vinariis aut cereuisiariis sub pœna vnius floreni pro prima vice, pro secunda verò pœna duplicetur, pro tertia vice arbitrio ordinarij augebitur etiam vsq; ad depositionem, si proterui inueniantur.

CAPVT II.

ET quia vestitus ac habitus externus vitæ cleri-

calis debitam integritatẽ præ ſe fert & oſtẽdit, præcipimus vt in ſingulis feſtis triplicibus clericalẽ tonſuram vniuſcuiuſq; ordini conuenientem radant, & deinceps apertè gerant: barbã autem qui radere non volent, ita tamẽ inſcindere faciant vt barbæ quidem ſignum, non barbam geſtare videantur.

CAPVT III.

CAPILLITIVM item qui illud ad aures vſq; propter capitis malam conſtitutionem geſtare non valebunt; ita decurtare faciãt, vt plurima pars capillorum in capite remaneat, vt videantur plus neceſſitate quàm leuitate non gerere capillitum.

CAPVT IIII.

VESTEM ſuperiorem omnes ferant talarem, ſimplicem quidem illam & honeſtè conſutã nec incompoſitè ad collum reflexam, interiorem autẽ veſtem, qui ſufficiunt ad ſumptum impendendum, ferant longiuſculam: qui autem expenſas facere non poſſunt; veſtem quam vocant tunicam, ſiue vulgò paltrock, decentem gerant.

CAPVT V.

SINE autem veſte ſuperiori & tunica nunquam incedant.

CAPVT VI.

PALLIO qui vti volent, tale habeant vt à decoro clericali non ſit alienum, eoque tantum in pluuiæ neceſſitate vtantur.

CAPVT VII.

GALERIS ne vtantur niſi in plateis, & foris extra ciuitatem, illiſque ſimplicibus ac ſine redimiculis, niſi fortè ſimplicioribus & tantum ad neceſſitatem geſtationis ſeruientibus.

CAPVT VIII.

IN Eccleſias autem & alioqui domos publicas intran-

intrando statim galeros deponant, & birrheta assumant.

CAPVT IX.

CALIGIS item ex panno, simplicibus, non inflatis, sed ad cruris mensuram cōfectis, integris nullo modo incisis vtantur. Abstineant etiam à subligaculis quæ magis ad vanitatem quàm cōmoditatem gestantur.

CAPVT X.

NVLLO modo vtantur calceis incisis aut illis quos vocant lackey schoenen.

CAPVT XI.

CAMISIAS ad collū & manus simplices, non rugatas, nec arte laboratas habeant, sapiunt enim leuitatem.

CAPVT XII.

VESTIVM omnium color sit niger, seu ad nigrum vergens: vitetur autem in omni vestitu formæ nouitas, & talis sit vt nec sordidus, nec nimis compositus videri possit.

CAPVT XIII.

PRÆCIPIMVS etiam vt abstineant clerici à conuictu eorum hominum, qui publicè habentur pro potatoribus, aleatoribus, vsurariis, vel hæreticis, &c.

CAPVT XIIII.

IN conuiuiis etiam nuptialibus à tripudiis omnes omnino caueant: itē ab omni cōpotatione extra necessariam refectionē omnino omnes abstineant.

CAPVT XV.

ITEM cùm dicat Apostolus, Nemo militās Deo implicat se negociis secularibus: districtè præcipimus, ne quis pastorum munus notarij seu tabellionis publici deinceps exerceat, præterquā in casibus à iure permissis. Item ne laicorum bona procurent,

aut actiones prosequantur, aut coram iudice laico tanquam patroni causarum compareant, aut suas causas rei defendant: &,vt semel dicatur, ab omni illicito quæstu cessent, sub pœna nostro arbitrio reseruata.

CAPVT XVI.

ITEM nullus clericus mulierem quã semel propter suspicionem incontinentię iussus est dimittere, audeat frequentare, aut, quod turpius est, ad conuictum suum vel seruitium reuocare, sub pœna in capite 6. sessionis 21. expressa.

DE FESTIS ET IEIVNIIS.

CAPVT I.

QVÆ de festis & ieiuniis in concilio Mechliniensi constituta sunt, ea obseruari volumus: hoc addẽtes, vt si festum Annũciationis in aliquam Dominicam Quadragesimę venerit, celebretur tam à populo quam à clero feria secunda sequente.

CAPVT II.

SI festum Marci in die Paschæ vel infra octauã eius venerit, celebrabitur post Dominicã Quasi modo: si verò in alia Dominica, festum quidem celebrabitur die Dominica, sed ieiuniũ & processio die sequenti.

CAPVT III.

ITEM requirimus magistratus omniũ locorum nostræ diœcesis ne diebus Dominicis ante horã vndecimam tolerent scholas tripudiorum: pilatoria, palæstras, vulgò **schermscholen**: prohibeant etiam mimos, vulgo dictos **camerspeelders**: circumforaneos, quales sunt qui publicè sua medicamina venditant, & qui cantilenas à se decantatas distrahunt, & ali

& alij eius generis homines. Item iubeant claudi tabernas vendentium altilia: prohibeant quoque ne vllo in loco liceat proponere præmia aleatoribus qui pecunias conferunt ad iactum fortuitum, vulgò dicunt ryffelen.

DE SVPERSTITIONIBVS.

CAPVT I.

QVONIAM grauiter passim in obseruationibus superstitiosis delinquitur, videlicet dando eleemosynas certas certo numero, gestando certis diebus chartas, amuleta, annulos, imagines cum certis characteribus certo die inscriptis, & quæcunque naturalem rationem non habent ad eum effectum qui eis ascribitur, aut ad cuius cõsecutionem vsurpantur. Item quandocunque ex certis signis scriptis vel verbis (etiam sacris) aliquis præsumit certitudinem eius effectus qui in rebus particularibus neque integram, neque necessariam causam habet: mandamus vt pastores diligenter aduigilẽt ne à suis huiusmodi perpetrentur: doceantque eos, qui propter morbos proliũ & pecorum; aut sterilitatem agrorum, prædiorum, aut arborum, in eiusmodi superstitiosas auerruncationes procliues sunt, vt iuxta consilium Apostoli Iacobi capite quinto, dum ob aliquam aduersitatem contristantur, orent; si remedia petenda sint, ea adhibeantur quæ ostendit Chrysostomus ad populum Antiochenum Homilia 21. Deus est enim, vt testatur Isaias, qui irrita facit signa diuinorum, & in furorem vertit ariolos. Cap. 44.

CAPVT II.

NON minus offenditur Deus in variis vati-

cinationum, ac prædictionum modis, dum passim aniculæ infatuatæ à dæmonibus sese pro diuinis vēditant: Quamobrem præcipimus parochis nostris, vt si qui sint in suis parochiis qui hoc malo laborāt, ad nos deferant.

CAPVT III.

ROGAMVS magistratus omnes, vt hoc malum è tota republica extirpent, & ne nomen quidem tolerent; iubeantque omnes qui super euentibus futuris, & quibusuis secretis responsa dant, in exiliū agi: atque eos qui tales consulunt, grauiter puniāt: nam & hi, vt est Leuitici cap. 19. turpiter polluūtur: quare mandamus pastoribus nostris ne eos qui eiusmodi publicè consuluerunt, absoluere tentent, absque publica pœnitentia.

CAPVT IIII.

INCANTATORES, & qui carminibus suis mira machinātur, adeò vt etiam animos hominum fascinare se dicant, multò erunt seuerius à magistratibus profligandi.

CAPVT V.

AD magnam etiam diuini nominis irreuerētiam pertinet deprauatissimus mos iurandi, variis & abominandis modis: adeò vt hac in parte multi ipsis blasphemis dæmonibus videantur exæquandi: hoc peccatum quantum Deo displicet, & quantam iram Dei in populū excitet, satis testatur pœna quæ iussu
Leuit. 24. Dei blasphemo fuit irrogata: voluit enim Deus illū ab omnibus lapidari extra castra; vt ostēderent vindictam illius irreuerentiæ ad omnes pertinere. hinc curandum est magistratui vt seuera in eiusmodi homines animaduersione iram Dei auertant.

DE SCHOLIS PAROCHIALIBVS.

IMPRIMIS volumus nullum recipi in Ludimagistrum sine expresso consensu decani ruralis, qui super illo admittendo maturè cum parocho deliberabit.

CAPVT II.

TENEBVNTVR Ludimagistri omnes suos discipulos in festo Paschæ & Natiuitatis Domini ducere ad confessionem: sic tamen vt prius eos pro captu ingenij & ætatis instruant, de modo confitendi & ratione reuerenter parandi se ad sacram communionem. Item dum habetur concio ad populũ, constituant eos in loco ex quo cõmodè audire possint, contineantque ab insolentiis & fabulis.

CAPVT III.

ITEM mandamus Ludimagistris, ne quidquam prælegant suis discipulis nisi à Decanis Christianitatis aut saltem pastoribus approbatum.

CAPVT IIII.

VT autem pauperes qui portionarij sunt mensæ sancti Spiritus, suos filios ad scholas mittãt; ordinamus vt præfecti S. Spiritus, Ludimagistro soluant mercedẽ, pro eiusmodi pauperibus, videlicet dimidium eius quod diuites soluunt pro suis filiis.

CAPVT V.

ITEM volumus vt diebus Dominicis & festiuis vel saltem profestis in rudimẽtis Christianæ religionis instituantur ex paruis Catechismis ad eam rem per nos & alios editis.

CAPVT VI.

ITEM quòd vesperi non dimittantur nisi prius

ſub certo cãtu recitauerint orationem Dominicam, Salutationem angelicam, Symbolum Apoſtolicum, & Decem præcepta, & hoc in lingua vernacula.

DE BONIS FABRICÆ ET S. SPIRITVS.

CAPVT I.

DE adminiſtratione fabricæ & menſæ S. Spiritus multa prouidit Concilium Mechlinienſe, quibus ad commodiorem & vtiliorem diſpenſationem cenſuum & redditũ ad fabricam aut menſam pertinentium ea quæ ſequuntur addenda eſſe putauimus: In primis vt mamburni fabricarum & S. Spiritus reddant computum ſingulis annis ſuæ adminiſtrationis ſine reſtantiis ac defectibus: ne, vt hactenus compertũ eſt, per incompletos eiuſmodi computus tandem intercidãt bona huc pertinentia. Debet itaque quilibet totum quod ſuæ adminiſtrationis anno ceſſit, tanquam à ſe receptum computare, eoque modo computando ſeſe ad totum prouẽtum fabricæ vel menſæ præſtandum obligare: ſic tamen vt ſi doceat quędam non potuiſſe recuperari, ſuamque negligentiam aut moram purgare poſſit; habeat pro recuperatione non ſolutorum, octo menſes à die concluſi computus, intra quos teneatur defectus omnes explere. Quod ſi aliquid ceſſum in ſua adminiſtratione ſic ſine ſua culpa periit vt nulla ſpes ſit recuperationis, poterit in proximè futuro computu ſuam innocentiam legitime probare, eaque ratione liberari.

CAPVT II.

QVOD attinet ad reſtantias ante hanc noſtram ordinationem ceſſas, dabunt operam mamburni vt vel ipſi recuperent, vel ex concilio paſtoris & ſeniorum loci, aliquem ad hoc deputent cui ſtipendij loco de-

eo decimum quintum nummum de recuperatis assignabunt.

CAPVT III.

ITEM ordinamus vt in singulis parochiis fiat registrum ex pargameno, cui inscribantur pertinenter omnia bona & legata, census & prouentus, cum designatione hypothecarum & personarum eas possidentium respectiue pertinentia ad fabricā vel mensam sancti Spiritus.

CAPVT IIII.

HOC autem registrum cum omnibus aliis munimentis fabricę vel sancti Spiritus in firmo scrinio ad hoc parato recludātur sub tribus diuersis clauibus, quarum vnam habeat pastor, alterā primarius māburnus fabricæ, tertiam primarius mamburnus S. Spiritus. Quibus non permittimus authēticorum è dicto scrinio ablationem, nisi auferens relinquat ibi obligationem de restituendo ablato.

CAPVT V.

COPIAS autem authenticas omnium registrorum intra tres menses post hanc synodū ad nos deferri volumus, propter fortuitos casus: idemque volumus fieri de omnibus bonis & redditibus beneficiorum, secundum tenorem 4. & 5. capitis Concilij Mechliniensis in titulo de ęlocatione & conseruatione bonorum Ecclesiasticorum.

CAPVT VI.

ITEM præcipimus vt in singulis parochiis mamburni sancti Spiritus habeant mensam conuenienti loco positam ad distribuendas ex ea pauperum portiones: vt videat populus, neque indignos admitti, neq; dignos repelli, fieriq; hanc distributionem sine personarū exceptione. Volumus autē in hac distributione obseruari ordinationem Regiæ Maiestatis, videlicet vt fiat post concionē & missam, quibus interesse debeant omnes participes sub pœna perdendi portionem illius diei,

re integrè & reuerēter:neque vnquam eas omittere, alioqui enim fructus beneficij pro rata omissionis suos non facient;iuxta bullam a Pio quinto desuper editam. Mandamus autem decanis nostris ruralibus vt diligenter inquirant contra negligentes, eosq; ad nos deferant,maximè quos deprǣhendent celebrare non lectis horis.

CAPVT XI.

ITEM in ruralibus Ecclesiis vbi est iuuentus scholástica quæ ad chori cantum iuuandum instituitur, mandamus vt chorum non ingrediātur ad cantandum sine superpelliciis. Qui verò cantandi adhuc sunt imperiti,extra chorum vel in eius medio collocentur, vt sine fabulis diuinū officium audiant cum omni modestia ad reuerentiam compositi.

CAPVT XII.

ITEM pastori curæ esse debet ne mensa Domini, hoc est altaria Ecclesiæ,immundis linteis insternantur. Item vt repositorium venerabilis Sacramēti,corporalia, ampullæ, & omnia quæ ad diuinum sacrificium peragendum sunt necessaria, munda habeantur. Quod si vel pastoris vel matricularij vel mamburnorum circa hæc negligentia deprǣhendatur, seuerè pro delicti exigentia punientur.

CAPVT XIII.

VOLVMVS etiam vt perpetuum lumen habeatur ante venerabile Sacramentum, exceptis noctibus, propter grassatores, sub pœna vnius libræ grossorum exigenda à matriculario, si eius negligentia non incendatur: ab ipsis verò magistris fabricæ, si non procurent oleum vel candelas.

DE

DE DOCTRINA PASTORVM.

QVID autem & qualiter docere debeāt pastores, satis in Tridentino & Mechliniensi conciliis est prolixè traditum, quibus hic nihil addere decreuimus, præterquam quod statuimus vt omnes diuini verbi concionatores suas conciones, aut saltē capita earum præcipua, priusquam eas ad populum habeant, describant iuxta ordinem hebdomadarum anni: idque non in chartis reiectitiis, sed in libello quem in visitatione nobis exhibeant.

CAPVT II.

ITEM volumus pastores in principio concionis recitare lingua vernacula tractim & intelligibiliter Orationem Dominicam, Salutationem angelicam, Symbolum fidei, & decem præcepta Decalogi: in fine autem confessionem generalem, quam vocant vulgo **die nabiecht.**

DE HONESTA CLERICORVM CONVERSATIONE.

QVÆ de honestate vitæ & conuersatione clericorum sunt constitutá in conciliis Tridētino & Mechliniensi, inuiolabiliter obseruari volumus; mandantes ne quisquam de clero se misceat vsquam potatoribus in tabernis vinariis aut cereuisiariis sub pœna vnius floreni pro prima vice, pro secunda verò pœna duplicetur, pro tertia vice arbitrio ordinarij augebitur etiam vsq; ad depositionem, si proterui inueniantur.

CAPVT II.

ET quia vestitus ac habitus externus vitæ cleri-

calis debitam integritatẽ præ ſe fert & oſtẽdit, præcipimus vt in ſingulis feſtis triplicibus clericalẽ tonſuram vniuſcuiuſq; ordini conuenientem radant, & deinceps apertè gerant: barbã autem qui radere non volent, ita tamẽ inſcindere faciant vt barbæ quidem ſignum, non barbam geſtare videantur.

CAPVT III.

CAPILLITIVM item qui illud ad aures vſq; propter capitis malam conſtitutionem geſtare non valebunt; ita decurtare faciãt, vt plurima pars capillorum in capite remaneat, vt videantur plus neceſſitate quàm leuitate non gerere capillitum.

CAPVT IIII.

VESTEM ſuperiorem omnes ferant talarem, ſimplicem quidem illam & honeſtè conſutã nec incompoſitè ad collum reflexam, interiorem autẽ veſtem, qui ſufficiunt ad ſumptum impendendum, ferant longiuſculam: qui autem expenſas facere non poſſunt; veſtem quam vocant tunicam, ſiue vulgò **paltrock**, decentem gerant.

CAPVT V.

SINE autem veſte ſuperiori & tunica nunquam incedant.

CAPVT VI.

PALLIO qui vti volent, tale habeant vt à decoro clericali non ſit alienum, eoque tantum in pluuiæ neceſſitate vtantur.

CAPVT VII.

GALERIS ne vtantur niſi in plateis, & foris extra ciuitatem, illiſque ſimplicibus ac ſine redimiculis, niſi fortè ſimplicioribus & tantum ad neceſſitatem geſtationis ſeruientibus.

CAPVT VIII.

IN Eccleſias autem & alioqui domos publicas intran-

intrando ſtatim galeros deponant, & birrheta aſſumant.

CAPVT IX.

CALIGIS item ex panno, ſimplicibus, non inflatis, ſed ad cruris menſuram cōfectis, integris nullo modo inciſis vtantur. Abſtineant etiam à ſubligaculis quæ magis ad vanitatem quàm cōmoditatem geſtantur.

CAPVT X.

NVLLO modo vtantur calceis inciſis aut illis quos vocant **lackey ſchoenen.**

CAPVT XI.

CAMISIAS ad collū & manus ſimplices, non rugatas, nec arte laboratas habeant, ſapiunt enim leuitatem.

CAPVT XII.

VESTIVM omnium color ſit niger, ſeu ad nigrum vergens: vitetur autem in omni veſtitu formæ nouitas, & talis ſit vt nec ſordidus, nec nimis compoſitus videri poſſit.

CAPVT XIII.

PRÆCIPIMVS etiam vt abſtineant clerici à conuictu eorum hominum, qui publicè habentur pro potatoribus, aleatoribus, vſurariis, vel hæreticis, &c.

CAPVT XIIII.

IN conuiuiis etiam nuptialibus à tripudiis omnes omnino caueant: itē ab omni cōpotatione extra neceſſariam refectionē omnino omnes abſtineant.

CAPVT XV.

ITEM cùm dicat Apoſtolus, Nemo militãs Deo mplicat ſe negociis ſecularibus: diſtrictè præcipimus, ne quis paſtorum munus notarij ſeu tabellionis publici deinceps exerceat, præterquā in caſibus à ure permiſſis. Item ne laicorum bona procurent,

aut actiones prosequantur, aut coram iudice laico tanquam patroni causarum compareant, aut suas causas rei defendant: &, vt semel dicatur, ab omni illicito quæstu cessent, sub pœna nostro arbitrio reseruata.

CAPVT XVI.

ITEM nullus clericus mulierem quā semel propter suspicionem incontinentię iussus est dimittere, audeat frequentare, aut, quod turpius est, ad conuictum suum vel seruitium reuocare, sub pœna in capite 6. sessionis 21. expressa.

DE FESTIS ET IEIVNIIS.

CAPVT I.

QVÆ de festis & ieiuniis in concilio Mechliniensi constituta sunt, ea obseruari volumus; hoc addẽtes, vt si festum Annũciationis in aliquam Dominicam Quadragesimę venerit, celebretur tam à populo quam à clero feria secunda sequente.

CAPVT II.

SI festum Marci in die Paschæ vel infra octauā eius venerit, celebrabitur post Dominicā Quasi modo: si verò in alia Dominica, festum quidem celebrabitur die Dominica, sed ieiuniū & processio die sequenti.

CAPVT III.

ITEM requirimus magistratus omniū locorum nostræ diœcesis ne diebus Dominicis ante horā vndecimam tolerent scholas tripudiorum: pilatoria, palæstras, vulgò schermscholen: prohibeant etiam mimos, vulgo dictos camerspeelders: circumforaneos, quales sunt qui publicè sua medicamina venditant, & qui cantilenas à se decantatas distrahunt, & alij

& alij eius generis homines. Item iubeant claudi tabernas vendentium altilia: prohibeant quoque ne vllo in loco liceat proponere præmia aleatoribus qui pecunias conferunt ad iactum fortuitum, vulgò dicunt ryffelen.

DE SVPERSTITIONIBVS.

Capvt I.

QVONIAM grauiter passim in obseruationibus superstitiosis delinquitur, videlicet dando eleemosynas certas certo numero, gestando certis diebus chartas, amuleta, annulos, imagines cum certis characteribus certo die inscriptis, & quæcunque naturalem rationem non habent ad eum effectum qui eis afscribitur, aut ad cuius cõsecutionem vsurpantur. Item quandocunque ex certis signis scriptis vel verbis (etiam sacris) aliquis præsumit certitudinem eius effectus qui in rebus particularibus neque integram, neque necessariam causam habet: mandamus vt pastores diligenter aduigilẽt ne à suis huiusmodi perpetrentur: doceantque eos, qui propter morbos proliũ & pecorum; aut sterilitatem agrorum, prædiorum, aut arborum, in eiusmodi superstitiosas auerruncationes procliues sunt, vt iuxta consilium Apostoli Iacobi capite quinto, dum ob aliquam aduersitatem contristantur, orent; si remedia petenda sint, ea adhibeantur quæ ostendit Chrysostomus ad populum Antiochenum Homilia 21. Deus est enim, vt testatur Isaias, qui irrita facit signa diuinorum, & in furorem vertit ariolos. Cap. 44.

Capvt II.

NON minus offenditur Deus in variis vaticina-

cinationum, ac prædictionum modis, dum passim aniculæ infatuatæ à dæmonibus sese pro diuinis vēditant: Quamobrem præcipimus parochis nostris, vt si qui sint in suis parochiis qui hoc malo laborāt, ad nos deferant.

CAPVT III.

ROGAMVS magistratus omnes, vt hoc malum è tota republica extirpent, & ne nomen quidem tolerent; iubeantque omnes qui super euentibus futuris, & quibusuis secretis responsa dant, in exiliū agi: atque eos qui tales consulunt, grauiter puniāt: nam & hi, vt est Leuitici cap. 19. turpiter polluūtur: quare mandamus pastoribus nostris ne eos qui eiusmodi publicè consuluerunt, absoluere tentent, absque publica pœnitentia.

CAPVT IIII.

INCANTATORES, & qui carminibus suis mira machinātur, adeò vt etiam animos hominum fascinare se dicant, multò erunt seuerius à magistratibus profligandi.

CAPVT V.

AD magnam etiam diuini nominis irreuerētiam pertinet deprauatissimus mos iurandi, variis & abominandis modis: adeò vt hac in parte multi ipsis blasphemis dæmonibus videantur exæquandi: hoc peccatum quantum Deo displicet, & quantam iram Dei in populū excitet, satis testatur pœna quæ iussu
Leuit. 24. Dei blasphemo fuit irrogata: voluit enim Deus illū ab omnibus lapidari extra castra; vt ostēderent vindictam illius irreuerentiæ ad omnes pertinere. hinc curandum est magistratui vt seuera in eiusmodi homines animaduersione iram Dei auertant,

DE

DE SCHOLIS PAROCHIALIBVS.

IMPRIMIS volumus nullum recipi in Ludimagistrum ſine expreſſo conſenſu decani ruralis, qui ſuper illo admittendo maturè cum parocho delibe-rabit.

CAPVT II.

TENEBVNTVR Ludimagiſtri omnes ſuos diſcipulos in feſto Paſchæ & Natiuitatis Domini ducere ad confeſſionem: ſic tamen vt prius eos pro captu ingenij & ætatis inſtruant, de modo confitendi & ratione reuerenter parandi ſe ad ſacram communionem. Item dum habetur concio ad populũ, conſtituant eos in loco ex quo cõmodè audire poſſint, contineantque ab inſolentiis & fabulis.

CAPVT III.

ITEM mandamus Ludimagiſtris, ne quidquam prælegant ſuis diſcipulis niſi à Decanis Chriſtianitatis aut ſaltem paſtoribus approbatum.

CAPVT IIII.

VT autem pauperes qui portionarij ſunt menſæ ſancti Spiritus, ſuos filios ad ſcholas mittãt; ordinamus vt præfecti S. Spiritus, Ludimagiſtro ſoluant mercedẽ, pro eiuſmodi pauperibus, videlicet dimidium eius quod diuites ſoluunt pro ſuis filiis.

CAPVT V.

ITEM volumus vt diebus Dominicis & feſtiuis vel ſaltem profeſtis in rudimẽtis Chriſtianæ religionis inſtituantur ex paruis Catechiſmis ad eam rem per nos & alios editis.

CAPVT VI.

ITEM quòd veſperi non dimittantur niſi prius

ſub certo cātu recitauerint orationem Dominicam, Salutationem angelicam, Symbolum Apoſtolicum, & Decem præcepta, & hoc in lingua vernacula.

DE BONIS FABRICÆ ET S. SPIRITVS.

CAPVT I.

DE adminiſtratione fabricæ & menſæ S. Spiritus multa prouidit Concilium Mechlinienſe, quibus ad commodiorem & vtiliorem diſpenſationem cenſuum & redditũ ad fabricam aut menſam pertinentium ea quæ ſequuntur addenda eſſe putauimus: In primis vt mamburni fabricarum & S. Spiritus reddant computum ſingulis annis ſuæ adminiſtrationis ſine reſtantiis ac defectibus: ne, vt hactenus compertũ eſt, per incompletos eiuſmodi computus tandem intercidāt bona huc pertinentia. Debet itaque quilibet totum quod ſuæ adminiſtrationis anno ceſſit, tanquam à ſe receptum computare, eoque modo computando ſeſe ad totum prouentum fabricæ vel menſæ præſtandum obligare: ſic tamen vt ſi doceat quędam non potuiſſe recuperari, ſuamque negligentiam aut moram purgare poſſit; habeat pro recuperatione non ſolutorum, octo menſes à die concluſi computus, intra quos teneatur defectus omnes explere. Quod ſi aliquid ceſſum in ſua adminiſtratione ſic ſine ſua culpa periit vt nulla ſpes ſit recuperationis, poterit in proximè futuro computu ſuam innocentiam legitime probare, eaque ratione liberari.

CAPVT II.

QVOD attinet ad reſtantias ante hanc noſtram ordinationem ceſſas, dabunt operam mamburni vt vel ipſi recuperent, vel ex concilio paſtoris & ſeniorum loci, aliquem ad hoc deputent cui ſtipendij loco de-

eo decimum quintum nummum de recuperatis assignabunt.

CAPVT III.

ITEM ordinamus vt in singulis parochiis fiat registrum ex pargameno, cui inscribantur pertinenter omnia bona & legata, census & prouentus, cum designatione hypothecarum & personarum eas possidentium respectiue pertinentia ad fabricã vel mensam sancti Spiritus.

CAPVT IIII.

HOC autem registrum cum omnibus aliis munimentis fabricę vel sancti Spiritus in firmo scrinio ad hoc parato recludãtur sub tribus diuersis clauibus, quarum vnam habeat pastor, alterã primarius mãburnus fabricæ, tertiam primarius mamburnus S. Spiritus. Quibus non permittimus authẽticorum è dicto scrinio ablationem, nisi auferens relinquat ibi obligationem de restituendo ablato.

CAPVT V.

COPIAS autem authenticas omnium registrorum intra tres menses post hanc synodũ ad nos deferri volumus, propter fortuitos casus: idemque volumus fieri de omnibus bonis & redditibus beneficiorum, secundum tenorem 4. & 5. capitis Concilij Mechliniensis in titulo de elocatione & conseruatione bonorum Ecclesiasticorum.

CAPVT VI.

ITEM præcipimus vt in singulis parochiis mamburni sancti Spiritus habeant mensam conuenienti loco positam ad distribuendas ex ea pauperum portiones: vt videat populus, neque indignos admitti, neq; dignos repelli, fieriq; hanc distributionem sine personarũ exceptione. Volumus autẽ in hac distributione obseruari ordinationem Regiæ Maiestatis, videlicet vt fiat post concionẽ & missam, quibus interesse debeant omnes participes sub pœna perdendi portionem illius diei,

CAPVT VII.

PRÆTEREA statuimus iuxta voluntatem regiæ Maiestatis vt mamburni sancti Spiritus notabili tempore ante festa Natiuitatis & Paschæ dẽt pastori inscripta nomina omnium eorũ qui gaudẽt subsidio sancti Spiritus, vt eorum cõfessiones audiat, atque fidem cognoscat & religionem. Quod si quispiã de domo eorum, qui portionem sancti Spiritus recipiunt, huic ordinationi defuerit: volumus pro prima vice illam domũ priuari sua portione trimestri tempore, pro secunda vice totaliter, ipsamque personam detrectantem pro suspecta haberi.

DE TESTAMENTIS.

IN primis statuimus vt legatũ, quod fabricę Ecclesiæ Cameracẽsis solet relinqui, hoc omnibus locis nostræ diœcesis in posterum relinquatur fabricę cathedrali Antuerpiensi, iniungentes omnibus pastoribus & aliis notariis publicis, vt authentica instrumẽta non dent hæredibus aut legatariis, nisi docuerint legatum Ecclesiæ esse persolutum.

CAPVT II.

ITEM vt singulis annis ad Thesaurarium Ecclesiæ transmittant Catalogum omnium Testamẽtorum quę stipulati sunt cum significatione legati fabricæ quando per mortem testatoris erit testamentum confirmatum.

CAPVT III.

ITEM monemus omnes clericos ne in Testamẽtis suis faciendis nimium tribuãt carni & sanguini: sed meminerint ea quę necessitatibus suis supersunt ex fructibus suorum beneficiorum esse verè pauperum & Ecclesię, ac de iure ex omnibus beneficiis eos tantum posse capere stipendia vitę suę, cùm non habean-

beantur vt proprietarij, ſed tantùm vt vſuarij: neque intuitu perſonæ cuiuſque ſunt in fundationibus relicta bona beneficiorum; ſed intuitu Eccleſiæ cuius ſeruitio ſunt deputati; ita vt ab Eccleſia honeſtæ vitæ ſtipendia tantum promereâtur & capere poſſint.

CAPVT IIII.

ITEM volumus de omnibus piis legâtis nobis aut ſigillifero noſtro rationem reddi intra annum à cõfirmato teſtamento, atque intra ſecundum annũ legata omnia perſolui.

CAPVT V.

ITEM monemus paſtores omnes vt cùm teſtamenta eorum ſtipulantur qui de vſuris expreſſis aut palliatis ſunt infamati, diligenter eos moneant de periculo damnationis, & præcipuè quòd eorum teſtamenta niſi de reſtitutione vſurarum faciẽda prouideant, eſſe de iure nulla.

DE RAPTV ET CLANDESTINIS PROMISSIONIBVS.

CAPVT I.

ITEM ea quæ de raptu ſunt ſtatuta in Concilio Tridentino, volumus inuiolabiliter à paſtoribus obſeruari: hoc adiicientes, vt teneâtur ſtatim ſi quiſquam ſuorum ſubditorum rapit aut rapitur, nobis perſonas rapientes ſeu raptas denunciare, vt maturè poſſimus in eos animaduertere.

CAPVT II.

ITEM quia multi ſubdoli incautas iuuenculas promiſſione futuri matrimonij decipiunt, ſcientes ſe ab obligatione eiuſmodi promiſſionis per Concilium Tridentinum liberatos: contra hanc impoſturam

ram ſtatuimus vt quandocunque paſtori aliquid tale innotuerit,eiuſmodi perſonam nobis denũciet, vt poſſit pro meritis ſuis caſtigari.

DE TESTIBVS SYNODALIBVS RESTITVENDIS.

CAPVT I.

QVIA peccandi licẽtia multum inualuit ex eo quod crimina ſuperioribus plerunque celentur:hinc præſenti ſtatuto ad viuum obſeruari volumus cap. Epiſcopus 35.quæſt.6.mandantes decanis noſtris vt in ſingulis Parochiis conſtituant duos viros honeſtos & zeloſos teſtes ſynodales, qui concubinarios, adulteros,clericorum inuaſores ac percuſſores,vſurarios,contractuſque illicitos exercẽtes, & quæcunque crimina ad noſtram correctionem ſpectantia quotannis corã ipſis decanis aut aliis ad hoc à nobis deputandis exponant , vt habita inquiſitione poſſit contra eos procedi ad emendationem.

FINIS.

APPROBATIO.

Hæc ſynodalia ſtatuta à Reuerendiſsimo Domino Epiſcopo Antuerpienſi edita, ſancta ſunt,pia & vtilia, imo neceſſaria ad cleri bonam reformationem, & ſanctam conuerſationẽ. Quare vtile fore, ſi imprimantur, vt omnibus communicentur, iudicamus.Datum Antuerpiæ 17.Maij. M. D. LXXVI.

Siluester Pardo S. Theol. Licenciatus & Cathedr. Eccleſiæ Antuerpienſis Canonicus.

Franciſcus Sonnius.